



Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Sicut uitta coccinea labia tua & eloquium tuum dulce.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

COMMENTARIORVM LI. III. 49:
ptum impleuerunt uel custodierunt, & consiliū
suo addiderunt. Quod est præceptum, aut quod
consilium? Utiq; præceptum est, nō rapere aliena;
consilium, relinquere etiam sua. Consilium
istud cum præcepto sibi met composuerunt, &
hoc est bonum geminum, hæc est fœcūditas fœ
tū gemellorū. Sic sunt o amica mea dentes tui,
id est, calidum innocentiam tibi proponis, cū eius
dem innocentiae magistra sis, multo excellētior
qualibet ouium siue arietum talūm; quorū utiq;
non est, dentibus male uti, scilicet inuicem mor
dere, uel detrahere, & ab inuicē consumi. Et qui
dem grex ille, quicunq; talis est, te sibi magistrā
scit, tu autem cunctis humilior, de omnibus pene
aliora sentis, & uideris tibi capras & oues me
similari quas longe præcedis.

Sicut uitta coccinea labia tua & eloqui
um tuum dulce,

In quo sicut uitta coccinea labia tua? Nimirū
in eo, quod sermo tuus a ueritate non discordat,
imo cum ueritate multum concordat. Princi
pium ueritatis, hoc est, ut non defendat se con
tra deum, imo accuset ante deum quispiam fili
orum uel filiarum Euæ, quæ dissoluit amicitiam
inter se & deum proterua defensione. Si uittam
huiusmodi habuisset, si uinculo perfectionis, qđ
est dilectio, sese creatori astrinxisset, paries ini
micitarum in medio nō surrexisset. In labijs tu
is confessio & pulchritudo est, labijs tuis san
ctitas & magnificentia est. Illa deo fuit muta, tu
autem magnificasti dominum mente ardentissi
ma, uoce suauissima, & hæc est uitta coccinea,

G

Matth. 5.

Galat. 5:

Coloss. 3.
Ephesi. 2
Psalm. 95

RVP. IN CANT. CAN. CAP. III.

quia charitas est ignea, qua bene cum eo ligata,
sic deo adhaesisti, ut unus cum eo spiritus sis. Hinc
eloquium tuum dulce, quia uidelicet ex abun-
dantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quod ab
dat interius, sapit sermo, qui redundat exterius.

Ecce Rhaab meretrix dulcis eloquij tui uitta
coccineam, siue funiculum coccineum in fene-
stra sua ligauit, signum surae fidei, quod nuntios Io-
sue siue Iesu suscepit atque saluauerit: dum Ec-
clesia quondam peccattix, & idolatriæ meretri-
cio sordida, & dulce eloquiu[m] tuum, quo magni-
ficauit anima tua dominum, pignus surae salutis
iugiter personat, & omnem doctrinam euangeli-
cam, in qua ipsos apostolos tua sine dubio labia
confirmauerunt, integra semper fide prædicat.

Et de omni quidem anima, quæcumque diuersa
sentientes ad unitatem sua prædicatione costrin-
git, ut idipsum dicant omnes, & hoc agit in cha-
ritate & fide non ficta: uerum est dicere: quia la-
bia eius sicut uitta coccinea: sed in ista gratia tu
cæteris omnibus es incomparabilis post me di-
lectum tuum, cui specialiter spiritus in Psalmo
dicit: Diffusa est gratia in labijs tuis.

Sicut fragmē mali punici, ita genæ tuæ,
absque eo quod intrinsecus latet.

Malū punicū dicitur, eo quod ex punica regione
sit genus eius translatū. Idem & malū granatum,
eo quod intra corticis rotunditatem granorum conti-
neat multitudinem. Negant medici mali huius ci-
bo corpora nutriti, sed eo sic utendum opinatur
ut medicari potins non alere uideatur. Ita, inquit
genæ tuæ sicut fragmen mali punici, i.e. uere cum

1. Cor. 6
Matth. 12

Iosue, 2.
Lucæ, 1.

1. Cori. 2.

1. Tim. 1.

Psal. 44.

Quid est
malū pu-
nicum?